

Hippolytus Wesel a Joachim Rehberg

Theses De Iuramentis Iuridicae Et Controversae

Rostochii: Literis Reusnerianis, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728319292>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 28. Juli 1607

a Wesell, Hipp. /b

9. 170
30

Thefes
DE
JVRAMENTIS
JVRIDICÆ ET
CONTROVERSÆ.

Quæ
Divina favente Gratia,
Clarissimo & Consultissimo viro,
Dn. HIPPOLITO à WESELL
I. V. D. Præside,
IOACHIMO REBERGIO *Primis,*
Marchico Respondente,

Examinabuntur & discutientur
28. Iulij.
Auditorio majori.



ROSTOCHII
Literis Reufnerianis, Anno 1667.

I. 8. 296. 17.


Domino ERNESTO COTHMANNO, viro
Magnifico & in Megapolitania consiliario
præcipuo. *Nec non*

Domino NICOLAO WILLEBRANDO, viro
consultissimo, & Advocato celeberrimo

*Iurium Doctoribus & P. Professoribus clarissimis & excellentissimis, Dominis
præceptoribus & Mecanaribus suis patriâ san-
ctitate colendis.*

S. P. D.

Ivsjurandum, Ciceroni si credimus, ad astringendam fidem, vinculum est arctissimum: nec ullum mortalibus agris remedium à Dijs concessum, cujus timore & sanctitate contentiosa litigantium instantia compefcatur melius, & veritatis lumen præluceat clarius. Hinc à limationibus juris Antecessoribus Betonicæ non inconcinne æquiparatur, habito nimirum respectu, tum probationum, tum contractuum firmendorum. Quid? tam veterum & recentium monumenta scriptorum, quàm spiritus religiosissimi vir, non sine sua clade, M. Atilius Regulus, aliq; permulti abundè attestantur, jurisjurandi sanctimoniam apud omnes inde à mundi primordio populos, inviolatè sanctèq; habitam servatamq; esse, adè, ut longioribus idipsum decantare tibijs, nihil sit aliud, quàm in meridie lucernâ soli lumen inferre, aut in Ciliciam, quod ajunt, Crocum, Ægyptum frumentum invehere. Ideoq; plura pro exotica hujus materiæ commendatione haud affero. Vestræ autem M. & E. veterum pro more Quiritum, primitias hæcce meas, in hac incluta Academia Rosarum, Doctissimorū hortatu elaboratas, perquàm officiosè offero, dico & confecro. Partim quòd vel ipsa pietas hoc gratitudinis officium à me deposcat, ut qui sub vestra prudentissima directione, purissimo Jurisprudentiæ lacte innutritus, testatum faciam, quantum V. M. & E. in isto professionis genere venerer atq; suspiciam. Partim etiam, quod ex dissito Marchiæ loco me ad vos emissum & de meliori nota, à consultis viro Domino Matthia Garnichio Trevirense, commendatum, non solum benignè excepistis, sed & pro solita vestra humanitate omnem tum consilij, tum promotionis spem fecistis. Et tandem ut quod hæc disputatio suis assequi opibus nequit, V. M. & E. nomen legentium opinionibus suppleat. Quo circa jure vestro Viri clarissimi hoc juris exercitium, vobis quidem quia tenue, indignum, debitæ tamen observantiæ publicum signum, benigno vultu accipite, meq; in eorum album referte, qui V. M. & E. sese quàm commendatissimos esse exoptant. Vivite parentes secundi, & diu bene valete, meq; vestræ benevolentiæ heredem facite.

Joachimus Rebergius Respondens.



Thesis I.

De juramentis, non oleo legato, aut glande legenda; sed de materiâ gravi atq; difficili, & in frequenti hominum usu utilissimâ, & nobili Betonica, variorum morborum curatrice, acturi, imprimis quid sit, brevi attingemus descriptione.

II.

Dicitur autem juramentum Religiosa affirmatio vel negatio: cum potissimum in verbis consistat, & fiat cum invocatione solius Divini nominis, ad confirmandam jurantis fidem, & imponendum litibus finem.

III.

Estq; vel de causa controversa, vel non controversa.

IV.

Juramentum de causa non controversa præstatum vel ratione Feudi, vel ratione territorij, vel ratione contractus firmandi.

V.

Ratione feudi præstitum, dicitur juramentum fidelitatis, sive vasallagium, quod suis Dominis vasalli depouunt *Lehnspflichte/ getrew vnd hold zu sein.*

VI.

Sed an hoc eò usq; se etiam extendat, ut filius vigore ejusdem, contra patrem Dominum defendere & juvare teneatur? quod non, putamus: nisi parens Dominum injustè contra jura naturalia, vel etiam religionem oppugnet.

VII.

Sic neq; contra Imperatorem, neq; contra patriam, neq; contra seipsum, Dominum juvare tenetur.

VIII.

Ratione territorij præstitum dicitur juramentum subjectionis *getrew vnd gehorsam zu sein* / quo subditi, Landsassij & civitatum incolæ non privilegiati suis se astringunt principibus. Et hoc à quibusdam in personale vel Reale, ratione rei scilicet principaliter præstitum, distribuitur.

IX.

Et deniq; negotij sive contractus firmandi gratia juramentum etiam adijcitur.

X.

Vbicunq; igitur interponitur, effectum suum regulariter sortitur & servari debet: modò non dolo, vi vel metu sit extortum. Tum enim de jure nullius est momenti.

XI.

Canonistæ tamen & in praxi versantes, absolutio- nem de jure canonico, tanquam singularem pro conscientijs cautelam introduxerunt, quod rationi consonum & à jure civili non est alienum.

XII.

Quod autem diximus effectum sortiri & operari juramentum, An id etiam ad contractus ipso jure nullos & invalidos extendi possit, dubitatur? Et posse putamus.

XIII.

Nam donationem inter conjuges, appposito juramento, ratam haberi communis concluditur.

Prout

XIV.

Prout quoq; donatio inter patrem & filium, si juramentum accesserit, de jure valida censetur.

XV.

Sic quingentos aureos excedens donatio absq; infirmatione facta, juramento firmatur.

XVI.

Et mulierem, sive vellejano renunciat, sive non, juramento interposito, fidejubendo efficaciter obligari censemus.

XVII.

Eundem in modum & minores, curatores habentes, vel non habentes, sive mobilem, sive immobilem rem, mediante juramento alienent, efficaciter alienare dicimus.

XVIII.

Si tamen in hac alienatione enormiter læsi sint, tum eos restitui posse & debere æquius putamus.

XIX.

Imò vero, si confiteantur, contractum non esse dolo extortum, neq; simulatum, neq; aliter vitiosum aut illegitimum, nihilominus eos restituendos arbitramur.

XX.

In prodigo autem, num & ille, postquam à magistratu bonis ei interdictum est, obligetur ei cum quo contraxit, ex promissione jurata, quemadmodum de superioribus affirmavimus, meritò hærent nonnulli? Et Non obligari asserimus. Et hæc de juramentis in causis non controversis.

XXI.

Iuramentum de causa controversa, aut Religionis potissimum injiciendæ, aut liris decidendæ causa interponitur.

XXII.

Religionis causa adijcitur Iuramentum calumniæ, quod à litigantibus, se causam bonâ fide prosequi velle, præstatur, de jure civili remitti nequit: sed statim in principio litis præstari debet. Licet jure canonum secus sit.

XXIII.

Et in omni causa sive sit summaria sive ordinaria præstandum, neq; criminalem neq; spiritualem excludendam esse credimus.

XXIV.

Parentibus tamen & Patronis id remittimus, etiamsi liberi & liberti id præstare cogantur.

XXV.

Sed & Religionis iniiciendæ causa interponitur iuramentum Testimonij, quod à testibus veritatis dicendæ gratia requiritur. Quod tamen partium consensu & voluntate remitti potest.

XXVI.

Vt & huc referendum iuramentum Purgationis, quod reus præstat in sui purgationem, licet ab adversario nondum convictus fuerit. Hujus usus potissimum in criminalibus & matrimonialibus causis conspicitur.

XXVII.

Hoc tamen iuramentum publicâ famâ existente, infamato de delicto, non statim est imponendum, sed debent argumenta concludentia adesse.

XXVIII.

Delato vero alteri, præstitoq; juramento hoc, nihilominus accusator ad probandum perjurium admittitur.

XXIX.

Litis decidendæ causa adhibetur iuramentum aut ob solam litis decisionem, aut ob culpam debitoris. Prioris generis

generis sunt hæc: Voluntarium: Iudiciale & Necessarium.

XXX.

Voluntarium sive conventionale, per modum transactionis extra iudicium, partium conventionione defertur. Et hoc semel susceptum referri nequit.

XXXI.

Iudiciale dicunt quod pars parti autoritate iudicis defertur.

XXXII.

An verò id præcisè præstandum, vel referendum, etiamsi actor nihil probaverit, elegantis est quæstionis? Et licet Affirmativam communem dicant & sequantur Wesenb. & Schneid. Negativam tamen etiam practicatam, & aliquando obtentam ut mitiorem sequemur.

XXXIII.

Sed ecce qui defert juramentum, rei gestæ ignarus est, & tamen versatur in casu, quo rectè deferri juramentum potest: Quæritur itaq;, quia referri nequit, an is cui delatum est, illud præstare cogatur? Affirm.

XXXIV.

Si verò reus, cui delatum est, juramentum referat, & sic actor juret, an referens ab infecuta sententia possit appellare? Negamus, nisi coactus retulerit.

XXXV.

Multo minus itaq; deferens appellare aut hoc juramentum prætextu perjurij retractare poterit.

XXXVI.

Necessarium, quod & suppletorium nuncupatur, à iudice in supplementum semiplenæ probationis defertur.

XXXVII.

Sed an iudex etiam id deferre possit & debeat, non petitum? Affirm.

XXXVIII.

In criminalibus, matrimonialibus & gravioribus causis regulariter locum non habere verius videtur, In

XXXIX.

In matrimonialibus tamen, si pro matrimonio agatur deferri posse, communiter traduntur.

XL.

An autem ab hoc juramento appellari possit? Affirmativa placet.

XLI.

Imò hoc juramentum etiam sine appellatione retractari potest, ob instrumenta noviter reperta.

XLII.

Quod an ad testes novos extendendum, non immeritò disputatur? Et affirmantium nobis arridet opinio.

XLIII.

Petitio autem restitutionis in integrum, an ob id præcedere debeat? Ita communius concluditur.

XLIV.

Postremò juramentum in litem, quod ob culpam potissimum debitoris præstatur, duplex est: aut enim juratur quanti in litem, & dicitur juramentum Affectationis, quo permittitur auctori rem æstimare pro arbitrio & iusta sua affectione.

XLV.

Aut juratur quanti res est, seu quanti interest, quo res æstimatur quanti revera est & dicitur juramentum veritatis.

XLVI.

Quamvis autem plures juramentorum sint species; hisce tamen primarijs, quæ enumeratæ sunt, hac vice erimus contenti, conclusionis loco subnectentes: An perjurium jure civili puniatur? Affirmativæ subscribimus.

COROLLARIA.

1. An hosti juratò fides data sit servanda? Affirm.
2. Jurans, se pro nemine unquam fidejussurum, an pro amico egeno idipsum petente, fidejubere possit? Affirm.
3. An fidejussor jurans gaudeat beneficio Excussionis? Neg.
4. Vtrum is qui juravit se soluturum, uti possit compensatione? affirm. sub distinctione.

generis sunt hæc: Voluntarium: Iudicialium.
XXX.

Voluntarium sive conventionale, per actionis extra iudicium, partium conventi
Et hoc semel susceptum referri nequit.
XXXI.

Iudiciale dicunt quod pars parti autho
desert.
XXXII.

An verò id præcisè præstandum, vel
etiamsi actor nihil probaverit, elegantis est
Et licet Affirmativam communem dicant
Wesenb. & Schneid. Negativam tamen et
tam, & aliquando obtentam ut mitiorem se
XXXIII.

Sed ecce qui desert iuramentum, rei gest
& tamen versatur in casu, quo rectè deferri
potest: Queritur itaq; quia referri nequit
latum est, illud præstare cogatur? Affirm.
XXXIV.

Si verò reus, cui delatum est, iuramentu
sic actor juret, an referens ab insecuta senten
pellare? Negamus, nisi coactus retulerit.
XXXV.

Multo minus itaq; deferens appellare
mentum prætextu perjurij retractare poterit
XXXVI.

Necessarium, quod & suppletorium nu
dice in supplementum semiplenæ probatio
XXXVII.

Sed an iudex etiam id deferre possit &
petitum? Affirm.
XXXVIII.

In criminalibus, matrimonialibus & gra
sis regulariter locum non habere verius vid

